

ulla prorsus communio vel in cibo vel in potu vel in colloquio habeatur. Ad presens enim loquimur non de illis, sub quorum censura existunt symoniaci, at de illis quos necesse est esse^a sub illis et quorum cause non interest iudicare de illis, set iudicari ab illis.

33 Item dicimus tecum, quia symoniacus nil accipit, nil tradit, set id iccirco dicimus, quia aliter quam debet accipit, iniuste accipit ad pernitiam et ad iudicium sibi accipit, aliter quam debet tradit, iniuste tradit ad pernitiam et ad iudicium sibi tradit, tamen et ille tradit et iste accipit, que in sacris actionibus ab homine tradi possunt et accipi.

34 Refert quidem et plurimum refert inter symoniacum et sine ordinibus laicum. Namque laicus absolute nichil omnino accipit, symoniacus vero et aliquid ab ordinante accipit et nichil ab ordinante accipit. Quamvis enim ad pernitiam accipiat, aliquid tamen accipit, quia ordines sacros accipit; set iccirco dicitur quia nichil accipit, quoniam propter quod debet et ad quod debet ordines sacros non accipit. Neque enim propter Deum accipit neque enim ad suscipiendam Dei gratiam ordines sacros accipit. Idcirco dicimus quia nichil accipit, quia dicere solemus rem non esse quę aliter est quam debet esse et aliquid non fieri quod aliter fit quam debet^b fieri. Unde^c frequentissimo usu loquendi dicimus ei qui aliud quam debet dicit, nichil est quod dicit. Quamvis enim revera aliquid dicat, revera aliquid faciat, quia non dicit illud aliquid, quod debet dicere nec facit illud aliquid quod debet facere, dicimus quia non dicit seu facit aliquid, quoniam tantumdem valet ac si non faceret ullum aliquid immo melius esset non fecisse aliquid quam fecisse illud aliquid quod non debuit. Si enim malum est non fecisse quod debuit, multo gravius malum existit et non fecisse quod debuit et fecisse quod non debuit.

35 Accipe in scripturis quoque multa huiusmodi locucionum exempla. In epistula ad Corinthios dicit apostolus¹: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam^d, caritatem autem non habeam, nichil sum*. Quamvis enim aliud aliquid existat, quia non est illud aliquid, quod debet esse, nichil hoc est, non aliquid dicit se esse. Item in epistula ad Galathas²: *qui autem putat se esse aliquid, cum nichil sit, se ipsum seducit*. Cum nichil,

^{a)} fehlt ^{b)} folgt: esse et aliquid non fieri quod aliter fit quam debet ^{c)} Unde ^{d)} transferam

¹⁾ 1. Cor. 13, 2.

²⁾ Gal. 6, 3.